

St. Moritz
St. Moritz
St. Moritz

St. Moritz

580
30

Q. D. B. V.

DISSERTATIO

EX

THEOLOGIA MORALI,

DE

FUNDAMENTO ET
NORMA DECIDENDI CA-
SUS CONSCIENTIÆ,

Quam

PRÆSIDE

DOMINO

D. ADAM RECHENBERGIO,

S. THEOL. PROFESS. PRIMARIO ET

FACULT. THEOL. h. t. DECANO,

PATRONO ET PRÆCEPTORE

NUNQUAM NON DEVENERANDO,

IN

COLLEG. MAJ. PRINCIPP. AUDITORIO

Prid. Cal. Septembr. A. M DCC VI.

solenniter συνθεολογούντων examini
submittit

M. JOH. CHRISTIAN Albrecht /
ALTENBURGENSIS.

L I P S I Æ,

Typis VIDUÆ B. Brandenburgeri.

H. S. Köhler

VIRIS
GENEROSISSIMO, EXCELLENTISSIMIS,
SUMME REVERENDIS ATQUE AMPLISSIMIS,
DUCALIS CONSTI-
TORII,

Quod
FRIDENSTEINII
est,

DOMINIS
PRÆSIDI
&
VICE-PRÆSIDI,

itemque
ASSESSORIBUS

longe Gravissimis,

Dominis suis, Patronis ac Promotoribus,

Hanc Dissertationem Theologicam

*In observantia tesseram, & sui studiorumque suorum
commendationem,*

cum pio perpetuæ felicitatis voto,

D. D. D.

M. JO. CHRIST. Albrecht.

Handwritten signature or mark in brown ink, possibly reading 'M. J. C. Albrecht'.

M. JO. CHRISTIANUM Albrecht/

S. Theolog. Cand.

P R Æ S I D I S

προς Φώνησις epistolica.

Recte atque ordine facis, quod postquam
 Philosophia spatia emensus es, Temet S.
 Theologia studio dederis atque cum doctrina de
 fidei nostrae capitibus scitu & creditu ad salu-
 tem necessariis, partem illius, quae mores &
 officia Christiani ex verbo Dei tradit, tractare
 haecenus sustinueris. Quia non ignoras, fal-
 sam esse eorum persuasionem, quae multorum a-
 nimis insedit, cultorem Theologiae officio suo
 defunctum esse, quando necessaria & contro-
 versa fidei capita didicerit & homiliam juxta
 vulgarem artem compilare, eamque coram populo
 recitare possit, insuper licet habitamorum Chri-
 stianorum solidiore doctrina; quam tamen o-
 ptimus vitae nostrae magister Christus cum Pro-
 phetis & Apostolis tam sollicite semper incul-

):(2

CA-

187.
carunt, ut mysterium fidei in pura conscientia
teneamus. Nam duo Christianæ doctrina sum-
ma capita sunt, fides & mores seu officia, in
quibus omnes, qui Christiani audiunt, recte eru-
diri debent. Quomodo vero id ab eo præstabi-
tur, qui alterutrius partis ipsemet rudis est,
aut utramque partem parum didicit? Quare,
ut opinor, nemo Tuam industriam, quam Theo-
logiæ morali simul insumsisti, reprehendet.
Quin potius laudem mereris eo majorem, quo
pauciores sunt, qui Tecum hac in parte paria
faciunt. De quo hoc industrie Tuæ specimen,
quod meo qualicumque ductu elaborasti, testa-
bitur. DEUS, qui nos omnes conscientia ma-
gis, quam fama rationem in hac vita habere
jussit, cæptis Tuis porro gratiam adspiret; ut
cum multo fructu ecclesiæ aliquando populum
erudias, gloriamque sanctissimi ejus Nominis,
divina adjutus gratia, promotum eas ac patriæ
Tuæ sis ornamento! Lipsiæ XXVII. August.
MDCCVI.



B. C. D.

INDEX HUIUS DISSERTATIONIS.

DE

**FUNDAMENTO ET NORMA DE-
CIDENDI CASUS CONSCI-
ENTIAE.**

- | | |
|---|---|
| §. I. Ordo tractandi. | XI. Conscientiæ <i>distinctiones</i> va-
riæ, unde? |
| II. <i>Conscientia</i> definitio. | XII. Quæ recentur. |
| III. Ejus <i>synonyma</i> ex S. Scri-
ptura, & etymologia. | XIII. <i>Recta</i> & <i>erronea</i> conscien-
tia, quid? |
| IV. <i>Conscientia</i> est pars lumi-
nis naturæ in mente ho-
minis reliqui. | XIV. <i>Certa</i> conscientia, & <i>proba-
bilis</i> . |
| V. Cujus <i>judicium</i> ex <i>lumine
scripturae</i> magis perficitur. | XV. <i>Dubia</i> & <i>scrupulosa</i> . |
| VI. Utrumq; lumen in iudicio
conscientiæ attendendum. | XVI. <i>Bona</i> & <i>mala</i> conscientia,
hujusque malitiæ gradus. |
| VII. <i>Synteresis</i> conscientiæ,
quid? | XVII. <i>Casus conscientia</i> , quid? |
| VIII. Ejusdem prima princi-
pia practica de actione ju-
dicandi. | XVIII. An quæstiones theoreti-
cæ de fide, tales sint? ubi
corrupta Scholasticorum
& Summistarum theologia
moralis notatur. |
| IX. In horum <i>adplicatione</i> o-
pus est <i>judicio reflexo</i> ad illa
principia; quod declara-
tur. | XIX. Ex corrupta Theologia
dogmatica, & ignorantia
juris divini, casus multipli-
cantur. |
| X. <i>Actus</i> conscientia formales. | XX. <i>Decisiones</i> casuum conscien-
tiæ. |
| | XXI. |

A

XXI.

- XXI. *Ordo* quæstiones morales tractandi variat. & quidem *moralis* agendorum norma.
- XXII. Methodi hujus *vitia* & *virtutes* cum illorum emendatione indicantur. XXXV. *Ceremonialis* & *forensis* ad Christianos non spectat.
- XXIII. *Fundamentum* & *norma* decidendi cognitu necessaria. XXXVI. Quo sensu *Evangelium* norma conscientiae dici possit?
- XXIV. *Erroneum* fundamentum *primum*, sunt veterum Hebræorum *traditiones*. XXXVII. Quod ulterius declaratur.
- XXV. Item Rabbinorum. XXXIIX. Leges humanæ tam civiles tam *ecclesiastica*, etiam conscientiam Christiani obligant.
- XXVI. Horum *autoritas*, quanta sit. XXXIX. Scrupulus aliquis hac in parte solvitur.
- XXVII. Deinde *Pontificiorum*, *Moralistarum* & *Casistarum* convenientia cum Rabbinorum, in puncto *Probabilitatis* moralis. XL. De obligatione *legum ecclesiasticarum*:
- XXIIX. *Probabilitatis* vel *Probabilismi* improba axiomata. XLI. *Objectum* harum quodnam?
- XXIX. Quæ etiam *inepta* sunt iudicio rationis. XLII. De obligatione *voti*.
- XXX. Novi *Pontificiorum* *Moralistæ* & *Casistæ* multo peiores antiquioribus. XLIII. De *modo*, *forma* & *autoritate* *decisionis* casuum.
- XXXI. His verum & solidum *fundamentum* ac *norma* opponitur, nempe verbum Dei revelatum. XLIV. In hac quæstionis circumstantiæ morales omnes attendendæ.
- XXXII. Conscientiæ vero gentilium, norma lumen naturæ tantum est. XLV. De *prima* circumst. *quis* egit?
- XXXIII. Christianorum hac in parte fundamentum firmitus & norma certior est. XLVI. De *secunda*, *quid*, egit?
- XXXIV. In hoc lex Dei revelata XLVII. De *tertia*, *finis*, *cur* egit?
- LI. Omnes *circumstantia* in iudicio XLVIII. XLIX. L. Circumstantiæ *minus principales* de *medio*, *modo*, *loco* & *tempore* declarantur.

(2)

- cio actionis consideranda, antequam pronuncietur.
 LII. De rebus *mediis & adiaphoris*, quid observandum?
 LIII. Prudentiæ & charitatis regula necessaria observatu.
 LIV. Differentiæ casuum conscientiæ notabilis.
 LV. Autoritas & exempla piorum Doctorum decidendi casus normam haut præbent; nec etiam canones conciliorum.
- LVI. *Decisio casuum ab informatione conscientiæ differt.*
 LVII. LVIII. *Regule generales ad informandam conscientiam.*
 LIX. Multitudo doctorum in determinatione boni & mali non attendenda.
 LX. LXI. LXII. *Casus quidam conscientiæ velut coronidis loco rationibus certis determinantur.*

§. I.

UT argumentum, quo de hac in dissertatione, divina favente gratia, agere constitui rectius cognoscatur, opus est, ut, quæ ad ejus intelligentiam faciunt, prius dilucidentur, quam decidendi casus *fundamentum & norma* exponantur atq; demonstrantur. Illa autem sunt *vocabula*, quibus rerum conceptus jam in titulo expressi denotantur.

§. II.

Inter hæc primum est *Conscientia*, cujus indoles ac natura ex definitione & Moralistarum, ut vocantur, distinctione noscitur. Illa autem mihi actum, non habitum conscientiæ, respicienti, est *judicium intellectus practici, quo homo sana mentis, vel ex lege connata, vel lata de eo, quod bonum aut malum, justum vel injustum est, judicare valet; ut bonum & justum eligat, malum aut injustum vitet; aut si hoc jam pertravit, de eo serio doleat, atque malum emendet.*

§. III.

Apud Ebræos est לבב seu לב. Exemplum habemus in Abimelecho, qui ad *perfectionem cordis sui* provocabat, qua phrasi, suæ puritatem conscientiæ intellexit, *Gen. XX, 5.* Ita vox illa etiam occurrit, *Eccl. VII. 22. Nam etiam vicibus multis novit cor tuum, quod etiam tu maledixeris aliis.* Sic καρδια a Johanne Grace usurpatur in

in 1. Epist. III, 21. Ἐὰν ἡ καρδία ἡμῶν μὴ καταγινώσκῃ ἡμῶν. Inde
S. Bernbardus de inter. Dom. c. 22. Conscientia quasi cordis scientia; Et
Hugo libr. 2. de Anima, c. 12. Cor & se novit sua scientia, & multa alia;
quando novit se, appellatur Conscientia, quando prater se alia, nominatur
scientia. ¶ Spiritus, Proverb. XVIII, 14. idem notat: Spiritus viri su-
stinet morbum ejus; sed spiritum fractum quis sustinebit? Quasi dice-
ret: quicumque recta & integra gaudet conscientia, omnia quæ
ei contigerint mala, forti animo perferre potest; Cui vero con-
scientia læsa est, illius humeris grave onus incumbit. Ex N. T. spe-
ctat huc illud Pauli 1. Cor. II, 11. τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τῷ ἀν-
θρώπῳ, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τῷ ἀνθρώπῳ τὸ ἐν αὐτῷ; Quis novit, que
sunt hominum, nisi spiritus hominis, qui est in eo? id est propria cujus-
que conscientia, v. Robertum Sanderfonium, Theologum Anglum,
Pralect. 1. de obligat. conscientia §. 3. Alias apud Græcos conscien-
tix, συνείδησις respondet. Quæ vox si particulam σύν, & con re-
spicis, in compositione ordinem & respectum ad aliud importat;
ut sit quasi plurium scitorum scientia: puta, cum eandem rem
personæ plures sciant; vel cum plures idem sciunt; qui ideo ali-
cujus rei conscii dici solent. Hinc differunt apud Nonium scius &
conscius: Scius secum, conscius cum alio scius est. Nempe quod hac in
parte, non homo solus, quæ a se gesta sunt, novit; sed etiam Deus
rerum abditarum omnium conscius sit ac testis, qui corda & renes
scrutatur. Hanc ob causam Jobus etiam ad testem hunc suum in caelis
provocat Job. XVI, 19. sic cum Paulus Christum advocasset in-
testimonium veritatis, statim addit: συμμαρτυρήσεις μοι τῆς συνει-
δήσεως ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Thomas Aquinas & Scholastici respectum
illum per particulam con notatum, ad plura objecta scita involvere
statuunt; quia conscientia sit scientia conjuncta, quod præclare ex-
ponit laudatus Sanderfonius l. 6. §. 4. 5. 6.

§. IV.

Nimirum post imaginem Dei primo homini concreatam, sed
 per inobedientiam propria culpa perditam, rudera ejus quædam
 vel reliquæ istius luminis concreati, in homine supersunt, quarum
 virtute non tantum verum & falsum, sed etiam bonum & malum
 in sphaera naturæ tale, discernere potest, Rom. I, 32. II, 14. 15.

§. V.

(5)
§. V.

Enimvero, quia illud lumen mentis reliquum imbecille est, radiosque obscuros quodammodo spargit ; DEus multo clarius lumen in verbo suo revelato hominibus accendit, ex quo bonum & malum eo luculentius dignosci queat. Id quod Hierospaltes *Psal. CXIX. & Ps. CXLVII, 19.* prædicat.

§. VI.

Utrumque lumen *naturæ & Scripturæ*, normam ut veri & falsi, ita boni & mali, justi & injusti, juxta distinctas rerum sphaeras indicat atque manifestat. Quapropter homo illud omni tempore attendere tenetur, quando quid faciendum, aut omittendum est; ut conscientiam habeat tranquillam, quæ magnum hujus vitæ bonum est. Contra mala conscientia, delictorum nostrorum ipsa testis est, dicit *Bernhardus*, ipsa judex, ipsa tortor, ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa punit, ipsa damnat, confer *Sapient. XVII, 10. seqq.* & *Dannb. Colleg. Decalog. p. 908.*

§. VII.

Juris autem ex naturali aut scripturæ S. lumine hausta notitia & cognitio, a Moralistis vocatur *Synteresis* (*συντήρησις*) quod homo illius scita generalia velut in mentis sinu teneat, atque nisi in mentem reprobam, propria culpa, a Deo traditus sit, scire ac inde quid bene agendum, quid omittendum sit, dijudicare valeat.

§. IIX.

Philosophi illam veri rectique notitiam congenitam, *κοινὰς ἐνοίας*, ac prima principia practica vocant: quod circa primas, ac universalissimas regulas justi & injusti versentur; quales sunt: *Deum esse colendum; neminem esse ladendum; quod sibi quis fieri velit, id alteri quoque præstet.* His autem communioribus juris naturæ præceptis, verbum Dei revelatum, justis & æqui specialiores & singulares regulas superaddidit; ut in omnibus actionibus vitæ præstandis, vel omittendis, homo normam vitæ rectius instituendæ perfectiorem habeat; ac adeo nullam ignorantiam juris, quæ superari non potuisset, facile obtendere queat: istud enim nos sapientes reddere ad salutem potest, ac adeo perfectum est, *2. Timoth. III, 15.* quod lumen naturæ præstare nequit, *Matth. XVI, 17.*

Proinde, ut juris nominati regulæ vel leges ad actiones vitæ humanæ juxta dictamen conscientia adplicentur, & judicium feratur rectum, justæ an injustæ illæ sint; opus est intellectus judicio reflexo, quæ *συνείδησις*, conscientia stricte adpellatur; h. e. (ut vox ipsa ex *con* & *scientia* composita insinuat) *scientia* velut *geminata* est; nempe primum juris seu legis scientia, deinde adplicatio ejusdem ad rem seu actionem, per actum intellectus reflexum facta. Hoc judicium syllogismo constat practico: ex. gr. Cainus ex *συντηρήσει* seu juris divini connati scientia hanc juris regulam noverat: *nemo innocens est occidendus*. At ille injusta ira erga fratrem abreptus, eum trucidaverat; hinc ex dictamine juris naturalis scientia, *de non-occidendo*, ad fratricidium à se patratum, facta adplicatione, ex *Synteresi* atque actu intellectus practici reflexo colligebat; se mortem meruisse, etsi de salute animæ non desperarit, *Gen. IV, 14*. Fuit hoc judicium conscientia rectæ, sed non bonæ. Contra *Jobus cap. XXVII, 6* & *Samuel, libr. I. c. XII, 3*, qui juris regulas menti impressas transgressi non erant, ex dictamine conscientia rectæ atque bonæ colligebant, publiceque prædicabant, se in foro conscientia esse innocentes. Ex quo adparet, judicium conscientia constare syllogismo practico: cujus *major* propositio est regula juris intellectui ex *synteresi* nota: *minor* est adplicatio istius ad actionem jam patrandam, aut patratam, quæ aut legi divina congruit, aut repugnat: inde *conclusio* sequitur, quæ sententiam de illa ex judicio conscientia latam continet ac velut promulgat. Confer *Dn. D. Præsid. Lineamenta Philosophiæ civilis p. 56, & 57* & *Quil. Ames. de Conscient. & ejus jure l. 1. c. 9.*

§. X,

Atque hinc facile intelligitur id, quod Apostolus, *Rom. II, 15*, de conscientia scribit; quod illius actus sint *accusare & excusare*. Id accidit, si homo aut male, aut bene recteque actorum, per mentis reflexionem recordatur; judicio conscientia vel accusatur, vel absolvitur: illa enim certissima testis simulque judex est. Quam ob causam, istam *chirographum, Col. II, 14*, cordis notarium, legis præconem, animæ pædagogum, frænum ante peccatum, post peccatum

tum

❁ (7) ❁

tum flagrum, aut tribunal in mente hominis constitutum Moralista communiter vocant. Confer. *Dannhaueri Theol. Conscient. Tom. I. part. 1. artic. 3.* Nam si quis ex certa juris divini & humani scientia, illiusque ad actus suos legitime facta adplicatione certo novit, se recte egisse; conscientia eum excusat; Si vero male se egisse meminit, illa dicitur *testari* & convincere hominem suae improbitatis. Hinc tritum illud: *Conscientia, mille testes.* Actus hosce conscientiae *Thomas de Aquino Part. 1. Qv. 79. art. 13.* declarat, quando adplicationem conscientiae tripliciter fieri statuit: *uno modo* secundum quod recognoscimus aliquid nos fecisse, juxta illud *Ecclasiast. VII, 23. scit conscientia tua te crebro maledixisse alis*, hoc modo conscientia dicitur *testificari.* *Alio autem modo* adplicatur, secundum quod per nostram conscientiam judicamus, aliquid esse faciendum; & secundum hoc dicitur conscientia, vel *ligare*, vel *infigare: tertio modo* adplicatur, secundum quod per conscientiam judicamus, quod aliquid jam factum, sit bene actum: & secundum hoc dicitur *excusare vel accusare* seu *remordere.* Hinc conscientia *bona vel mala* adpellatur. Confer *Job. Altenstaig. Lex. Theol. voc. consc.*

§. XI.

Quia autem homo in hac vita, etsi regeneratus, a prava concupiscentia non est immunis, ac inde pravis affectibus etiam obnoxius manet; unde lucta carnis & spiritus oritur, *Galat. V, 17.* ut intellectus theoretice ac practice in dijudicandis rebus crebro fallat aut erret: quandoquidem in multis labimur omnes *Jac. III, 2.* Quam ob causam conscientiae, quae in homine quatenus habitus, una est, variae distinctiones in scholis Moralistarum leguntur factae: quae aut a forma actus judicandi, aut a materiae & objecti circumstantiis, aut ab effectu quoque & eventu consequente petuntur, a quo conscientia bona vel mala dici solet.

§. XII.

Conscientia igitur complexe sumpta h. e. pro synteresi & *συνείδησις*, a forma & modo judicandi, quo intellectus in objectum practice fertur, (1.) *in rectam & erroneam*: (2.) *in certam & probabilem, dubiam vel scrupulosam*, distinguitur; ab effectu autem, seu eventu,

tu,

tu, *bona* aut *mala* adpellatur. Repete: quæ supra §. 9. fuerunt dicta.

§. XIII.

Recta conscientia est, quando quis de re & actione juxta leges sibi notas circumspēcte, & expensis omnibus circumstantiis moralibus, legitime judicat. Cui *erronea* opponitur, quando vel ex errore mentis circa leges præscriptas, vel ex errore circa actionis circumstantias morales examinandas (legi nempe an convenient, an repugnent) perperam judicat, adeoque errat. Quod sæpius accidit, vel ex falso præjudicio, vel *Φιλαντία*, vel affectuum impetu aut intemperie, quibus homines abripi aut occupari ac inde conscientiam (sed erroneam) testem allegare soleant, eoque se excusari posse arbitrentur.

§. XIV.

Certa vero conscientia est, si quis judicii sui practici de actione aliqua, liquidas, & indubias juris rationes reddere valet: ut nullum illi amplius dubium mente resideat; adeoque recti judicii *πληροφορία* gaudeat. Qualis conscientia etiam *recta* (à forma judicandi) a modo autem judicii firmissimo, audit *certa*. Contra *probabilis conscientia* ejus esse dicitur, qui rem aut actionem bonam vel malam, ex rationibus probabilibus juris æstimat; aut eam ab aliis, qui juris divini atque humani sunt periti, talem vel talem æstimari novit; etsi ipse primas & immotas bonitatis aut malitiæ moralis causas reddere nesciat. Atque hac conscientia plurima pars mortalium regitur. Quia paucis datum est, primas & certas justitiæ ac injustitiæ, quæ in actionibus humanis est, causas liquido demonstrare. Hinc informatio à prudentibus juris divini & humani arbitris peti solet. Qua obtenta acquiescere in foro humano licet.

§. XV.

Dubia conscientia est, si quis ob varias actionis circumstantias, quæ nullis certis legibus sunt determinatæ, aut saltem obscuræ videntur, hæreat & anceps sit nesciatque pronunciare: an, actio his vel illis circumstantiis vestita, bona aut mala sit. De qua *Ciceronis Offic. I.* regula commendari solet: nempe quod talis actio tantisper sit suspendenda, donec dubia per liquidas rationes exi-

man-

mantur, Bene inquit ille, præcipiunt, qui vetant quidquam agere quod dubites equum sit, an iniquum. Equitas enim lucet ipsa per se, dubitatio autem cogitationem significat injuria. A dubia autem conscientia, scrupulosa in eo differt; quod in hac nullus plane assensus est, ob anxiam formidinem contrarii; ne forte id ipsum malum sit, quod aliquis bonum existimaverit, aut contra: ut si quis mendico eleemosynam dederit, qua is forte abuti possit. Fluctuat enim animus scrupulosi in judicando ob scrupulos, seu leviculas rationes utrinq; subortas; quas tamen melius forte informatus, facile potuisset exuere. His qui anguntur scrupulis, plerumque sunt melancholici, aut infirmi judicii, qui etiam omnia tuta metuunt. Nam in illis intellectus theoreticus sæpe nimis subtilis aut turbatus, practico adversatur; ac adeo dum præcise omnes leviculas circumstantias expendit, in judicio impeditur. Quapropter nimis scrupulosi rebus expediendis, aut gerendis parum idonei censentur; cum aliquid certum in rebus dubiis statuere subinde animo pendeant, nihilque agant. Confer Ferdin. de Castro Palao Op. Moral. part. 1. disp. 1. punct. 2. & Sayr. Clav. Reg. l. 1. c. 14. Ex his ita in medium allatis adparet, quod conscientia recta & certa similis sit testi oculato; probabilis testi aurito; dubia & scrupulosa testi varianti, ut bene J. Thomassius in Tabl. Phil. Pract. observavit. confer Dannh. Colleg. Decalog. Disp. IIX. §. 20.

§. XVI.

Bona vero & mala conscientia, vocatur etiam consequens: quia actiones bonas & malas jam patratas concomitatur, ut quæ quis ex testimonio recti judicii bene egit, dicatur bonam, sinceram, & tranquillam conscientiam habere; quia nullas vellicationes, ob rem male gestam in animo sentiat. Tali gaudebat Jobus, Cap. XXVII, 6. Samuel 1. lib. c. XII, 3. et 5. Paulus Act. XXIII, XXIV. 16. Contra mala fuit conscientia Caini fratricidæ, sceleris sui reminiscentis Gen. IV, 13. 14. Judæ Ischar. Matth. XXVII, 3. 4. 5. Ejusmodi mala conscientia sæpius fit cauteriata, quam Apostolus 1. Timoth. IV, 2. indigitat. Talis est induratorum, quorum characteres vulgo fere ignotos D. Balduinus l. II, c. 10, p. 272. describit: quod justo DEI judicio,

B omni

omni facultate judicandi destituti, ut quid ex usu suo sit, dijudicare non possint. Ideo l. 1. de conscientia, & ejus casibus c. 13. & p. 28. scribit: Frustra enim est, NB. quod multi existimant sufficere, si in ultimo agone agnoscant se peccasse, & ad misericordiam Dei confugiunt. Multos enim peccati veterinus ita consopivit, ut ad seriam peccati agnitionem nunquam perveniant; conscientia etiam ipsorum tot saepe cruciatibus angitur, ut de misericordia Dei serio cogitare nequeant: unde in desperationis baratrum præcipites ruunt. Nempe illi, quos Deus in reprobum sensum (εις ἀδόκιμον ᾤον) tradidit, Rom. I, 28. fiunt ἀσύνετοι intelligentia carentes v. 31. ἀσὺν ἡ καρδία, thesaurizant sibi ipsis iram in diem iræ & patefactionis justi judicii Dei, Rom. II, 5. Quia ante divitias benignitatis & longanimitatis Dei præfracte contempserunt, a Deo postea penitus deseruntur, Prov. 1, 26. seqq. Quod contra crassum errorem Pelagianorum, qui quemvis improbum in agone mortis vere & salutari-ter poenitere posse garrunt, notandum est.

§. XVII.

His de conscientia in genere & specie, quod necessarium fuit, præmissis, *Casus conscientia*, quid sit, facilius capi atque nosci poterit. Nempe vocabulum *casus* hic non *physice* pro inopinato rei eventu, cujus causas per se ignoramus, aut pro lapsu vel ruina alicujus corporis, sed *metaphorice & moraliter*, pro actione legi aut juri divino vel humano repugnante sumi solet. Homo enim à lege aberrans aut illam transgrediens, in jus divinum vel humanum impingit, adeoque in peccatum prolabi, sive cadere moraliter dicitur; cum non recto juris tramite incedat. Casus hinc conscientia respectu impingentis in legem aut jus, quod intellectui est cognitum, vel esse debet, aut sunt peccata actualia, lege divina & humana vetita; aut *questiones morales*, de humanis actionibus dubiis formatae; an illae bonae & licitae; an malae, & illicitae sint in foro conscientiae? Etenim homo antequam hoc vel illud agat, de bonitate & justitia actionis certus esse debet, quam illam suscipiat. Nam, dicente Augustino, omnis homo, cum casu suo ambulat & quia est præceps in vitia; ideo Apostolus præmonet: qui stat, videat, ne cadat, aut ruat in peccata, quæ lapsus, vel casus in S. literis vocantur, 1, Cor. X, 12.

§. XVIII.

(II)
§. XVIII.

Vulgo quidem Moralistæ, Summistæ, Canonistæ & Casistæ, quæstiones theoreticas quoque, quæ ad fidem & credenda alias pertinent, ob dubia theoretica circa illa mala, ad casus conscientia referre solent. Enimvero cum illæ ad iudicium intellectus theoretici, (cujus est de veritate, & falsitate propositionis fidei judicare) per se spectant, tales quæstiones casibus conscientia, de quibus in morali Theologia agitur, hac ratione accenseri proprie nequeunt; quippe qui moralibus & practicis quæstionibus constant, de quibus iudicium est intellectus practici: an nempe, (in genere morum) pro bonis vel malis, justis aut injustis haberi debeant. confer *Quil. Amesii de consc. & ejus jure l. II. c. 1.* Accidere tamen potest, imo sæpissime contingit; ut mens etiam vel intellectus ob errores in fide admissos angatur, ac adeo conscientia ita male credentis perturbetur. Ideo hoc respectu illi errores etiam a nonnullis casus conscientia appellari solent. Puta, si quis præjudicio abreptus, aut odio erga assertorẽ veritatis fascinatus, errantium multitudini adstipulatus est; postea vero veritatis luce convictus, errorem a se admissum, stimulante conscientia agnoscit; tunc casus conscientia emergit: annon talis homo errorem suum, quo innocentes seduxit, publice revocare culpamque suam fateri teneatur? quod omnino asserendum est. Quia Paulus hoc ex amore veritatis, gloriaque divina fecit, *Act. XXVI. v. 10, 11. Gal. I, 13. Philipp. III, 6.* ita Augustinus quoque *libros II. Retractionum* scripsit. Quicumque igitur erravit, ubi ex S. scriptura veritatis per justum elenchum convictus est, per conscientiam suam non obstante turba obloquentium, tenetur errorem revocare, ut veritati sua constet gloria. In Papatu quidem, ubi errores doctrinae fidei maxime regnant, plurimi casus de fide tractantur, de peccatorum remissione, & sacramentorum administratione; de potestate Sacerdotum in hac vel illa officii sui parte. Sed corrupta est eorum fides & religio, quæ, ut loqui solent, externo opere operato fere constat. Hinc parum sani in universa illorum Theologia morali & casistica occurrit. Quia non tam quod justum est, sed quod expediat suæ

B 2

Eccle-

Ecclesiae & statui clericali statuunt. Hinc quidam Pontifex R. aliquando Cardinale quodam in conclavi submonente, propositum consilium sibi parum justum videri, ut Pontifex Caiphas *Job. XI. v. 10.* respondit: licet non posset fieri per *viam justitiae*; oportere tamen fieri per *viam expedientiae*. Itaque cum maxime intersit status Pontificis, ut conscientiae dominium sit penes clerum, onera *δυσβάστατα* laicis imponunt, ut conscientias eorum ligent, (*Matth. XXIII, 4.*) quo illi crebrius opus habeant Sacerdotum consilio, aut auxilio absolutionis a peccatis contra illorum traditiones admisis. Qua de causa in omnes peccati circumstantias, quod confitentur, inquirunt, ac ne forte metu propalationis absterreantur, sigillum confessionis sacrosanctum habent atq; commendant.

§. XIX.

Qui autem recte credunt, atque jugum illud clericale excusserunt, & de actionibus humanis seu moralibus & christianis ex solidis juris divini humanique principiis ipsimet judicare valent; illi tot casibus conscientiam onerare, opus non habent; modo Christianismi fundamenta intelligant & credant. Nam quæ illam dubiam aut forte scrupulosam reddere possunt, ex verbo Dei & rectæ rationis usu facile dissolvi possunt. Quia omnes casus vel ex ignorantia juris & honesti, vel ex superstitione, vel præjudiciis, vel ex confictis doctrinæ scrupulis sæpenumero inanibus proveniunt. Quapropter ad tranquillandam conscientiam opus est cognitione juris maxime divini & christiani, informatione prudentum & saniorum Theologorum ac Jurisconsultorum, qui errores, dubia, ac scrupulosas opiniones per liquidas juris christiani rationes, quærentibus eximere queant; ne errante conscientia temere peccent. Quia non licet contra conscientiam etiam erroneam aut dubiam agere; cum eo peccati periculo se quis exponat, atque in peccatum consentiat: etsi consensus talis non sit plenus & deliberatus, *Rom. XIV, 23.*

§. XX.

Dubiæ autem, & erranti conscientiæ, quæ nondum in sensum reprobum tradita est ac obduravit penitus (*v. Dannb. Theolog. Casual.*)

❁ (13) ❁

suav. de consc. cauteriata, p. 503 seqv.) verbum Dei inprimis, aut responsa prudentum christianorum consulunt. Quæ si juris divini certis rationibus suffulta sunt, *Decisiones* vocantur. Quia per illas, errores & dubia subnata solvuntur, nodique queis conscientia ante innexa fuit, velut enodantur atque deciduntur; ut istis sublatis quis saltem probabiliter certam conscientiam habere possit. Hac enim maxima pars hominum, (cum suo prope iudicio, quæ vere bona & mala sint in rebus singularibus discernere nesciant,) regitur. Nam etsi veritas in decisione solide & evidenter demonstrata sit; respectu tamen intellectus ejus, qui informatur, sæpe est tantum probabilis, quæ in auctoritatem prudentum resolvitur; cum ipse forte indoctus evidentes juris rationes adductas non intelligat.

§. XXI.

Moralistæ autem & Casistæ ejusmodi casus diverso ordine digerere solent. Pontificii quidem eos aut juxta partes officii Sacerdotum, aut plerunque juxta Decalogi præcepta partiri atque pertractare solent. Ex Reformatis autem *Job. Henricus Alstedius*, in *Theol. Casuum*, eos juxta capita doctrinæ catechetice ordinavit, quod ex nostris etiam fecit *D. G. Kœnigius*. *Guil. Amesius de consc. & ejus jure casus conscientie cum Theologia thetica* in multis miscuit. Plerique nostratum hac in parte ordinem præceptorum Decalogi observarunt. Quia iste, ut actionum humanarum norma primaria est; ita & casuum conscientie regula merito vocatur. Confer. *Dannbauer. Colleg. Decalog. & Theolog. Casualem cum Theol. conscientiarum, D. Osiandri Theol. Moral. item Strauchii Theolog. Moral. nuper publicatam*. Alii per quæstiones miscellas casus conscientie tractarunt, v. *Andr. Brückneri Manuale quæst. illustr.* *D. Balduinus vero de casibus conscientie libr. 1. c. 6.* partitionem casuum ab objectis officiorum humanorum & Christianorum petit. Quæ sunt *Deus, Angeli, ipse homo, ac proximus*. His enim ad certa officia, ex lege naturæ divina & humana quoque præstanda, Christiani per conscientiam obligantur.

§. XXII.

Alii casuum, & Responsorum prudentum Theologorum & Jurisconsultorum

B 3

rum

rum collectores, ista vel juxta *Status*, ut vocantur, *hierarchicos*, in quibus Christiani vivunt, digerere solent: alii vero nullo certo ordine casus, & quæstiones morales in vita humana obvios congerunt, & ex receptis sæpenumero Doctorum placitis resolvunt. Quem defectum in scholis vulgarem post D. G. Calixtum, *Job. Conr. Dürrius in præmio compendii Theolog. Moral. p. 5.* notavit, & hanc in modum disciplinæ redactam primum tractavit perspicue. Hunc venerandus noster Academiæ Senior, *Dn. D. J. Olearius* in sua *Theol. Moral. tabulis comprehensa*, secutus est, eamque justa methodo constrinxit. Qua observata, casus conscientiæ, h. e. quæstiones morales tum quoad thesin, tum quoad *περόληψιν* ex præceptis & regulis certis moralibus probatis prius atque confirmatis, statim velut exempli loco subjici poterunt: ut studiosa Juventus, quæ recte proprioque judicio adhibito sapere gestit, simul cum præceptis, eorum usum melius discat atque exempla in promptu, si similes casus dein in vita occurrant, noscere queat. *Casistica* enim quam vocant, *Theologia*, a *moralis*, non ut species a specie; sed ut pars specialis a parte generali distingui debet; adeoque tractatione rectius conjungi, quam separari debent. Quod Christi & Apostolorum doctrinæ morali non repugnat. confer celeberrimi *Dn. D. Jo. Mich. Langii de Origine & Progressu Theolog. moral. Systematica*, Illustris *B. Pufendorfius* in præfat. libr. de offic. hominis & civis, & in literis ad D. Præsidem dissertationis meæ olim datis, aliam eamque vitæ Christianæ utiliore methodum monstravit, quam ex ejusdem etiam literis ad *B. D. Schomerum* exaratis, *Dn. D. Mayerus* in *Bibliothec. Scriptorum Theolog. Moralium p. 26. 27.* publicavit. Huic adornandæ *B. D. Speneri* Homiliæ Germanicæ de *Officiis Christiani Evangelicis* (von Evangelischen Lebens-Pflichten quæ *B. D. Gvil. Bayerus* Studiosis Theologiæ magnopere commendare solebat) multum inservire possunt.

§. XXIII.

Sed nos hisce præmissis, ad *fundamentum & normam* decidendi casus conscientiæ evolvendum pergimus; quippe de quo hic præcipue tractandum venit. Id autem arbitror, commodum fieri posse,

posse, si *primum* erronea Casistarum fundamenta subruamus; *deinde* verum solidumque fundamentum & normam adstruamus, in medium etiam allatis quibusdam casibus, quæ dicta magis dilucident.

§. XXIV.

Ad *erronea* autem *fundamenta* primo loco referimus *traditiones* Hebræorum veterum & Rabbinorum auctoritatem, qui lapsa in Ecclesia Judaica vero Dei cultu, τὰς παραδόσεις patrum suorum, præter aut contra legem & verbum Domini a Prophetis annunciatum assumtas, pro fundamento cultus divini vitæque actionum venditarunt, & auctoritatem eorum pro cygnosura & regula habentes passim allegarunt. Hos autem Christus ideo graviter objurgavit, ac reprehendit, *Matth. XV, 2-11.* cum ante jam auditores suos *Matth. V. VI. VII.* in vera Theologia morali, ex altioris genuino fundamento, quod est verbum Domini, rectius informasset. Qua de causa etiam *Matth. V, 29.* gravissimam comminationem subjecit; ne a præceptis Domini ulla in parte desisteremus.

§. XXV.

Pharisæorum & Judæorum veterum errorem, recutitæ gentis deinde posterius, qui Rabbinorum titulo superbiebant, *Mischnah* seu δευτερόσσεις, quæ *traditionibus* & placitis humanis constabant, legi divinæ non tantum æquipararunt, sed etiam ut patres sui, pluris fecerunt. Nam *Rabbi Aben-Ezra*, in præfatione commentarii sui in *Pentateuchum* disertè scribit; quod nulla inter duas has leges, *Mosis scriptam* & *oralem majorum suorum* (Rabbinorum) differentia sit. Ita accidit jam ante in gente Israelitica, ut neglecto studio legis Mosaicæ, traditiones prævaluerint. Mosis enim autographum, *Hilkias Pontifex* invenit, quum per longum tempus, omnibus locum ubi repositus fuerat, ignorantibus, latuisset, *2. Reg. XXII. & XXIII.* itaque tunc librum illum tanquam rem novam ac peregrinam reputaverant.

§. XXVI.

Ex hoc autem apud excoecatam Judæorum gentem errore, enata fuit illa, de *Rabbinorum auctoritate*, stolidi perivasio, quæ in eorum

rum

rum Talmude sæpius occurrit; ut quando duo Rabbini in contrarias sententias de rebus judicandis abeunt, neminem obloqui debere, etsi alias intelligentia & ratione ea comprehendere nequeat, non tamen suggillandas esse. Quia ut dicunt horum verba licet contradictoria, verba Dei viventis sint. Horum vero insaniam *Lutherus* noster in libro, quem de *Judæorum Schem-Hamphorasch* conscripsit, notavit: *Judæi*, ait, *Rabbini suis, vel dexteram vel sinistram asserentibus, & contra, credendum esse dicunt, inquit Purchetus. Eadem ratione mecum agebant tres illi Judæi, qui me conveniant; quotiescunque enim eos ad Scripturæ textum reducere volui, identidem Rabbini suis credendum sibi esse oggerant, nullumque textum sacrum admittebant. Majorem ideo fidem Purcheto habere me decet, qui propria experientia edoctus fuerim.* Quod *Lutherus* ex fide *Purcheti* & praxi expertus scripsit, *Job. Buxtorf. in Synagoga Judaica Cap. III.* ex *Judæorum* libris multis testimoniis amplius probavit.

§. XXVII.

Pontificii eorumq; *Moralistæ* & *Summistæ*, ut in multis aliis suæ doctrinæ scitis & ceremoniis *Judæos* æmulantur, ita in primis *Traditiones ecclesiasticas* verbo Dei æquiparant, & ex recentiorum *Casistarum* numero, *Jesuitæ* præcipue *Rabbinorum* hac in parte vestigia legunt. Nam insanum eorum dogma de *Probabilitate*, aut *Probabilismo*, ex ipsorum lacunis derivari posse, satis constat: quo nempe insignis *Doctores Ecclesiæ suæ etiam ratione destituti* sententiam, pro fundamento & norma decidendi quæstiones morales & casus conscientiz venditare solent.

§. XXIIII.

Duo ex illa *Probabilitate* vel *Probabilismo* improba axiomata, ad decidendos casus morales cudere & propalare non erubuerunt: Primum est: *Probabilis omnis opinio etiam falsa & legi divina contraria a peccato coram Deo excusat*: Secundum: *e duabus opinionibus minus probabilem, & minus tutam amplecti licet*. Unde duo porismata juxta illos fluunt: prius est: *Licere Theologo ex opinione probabilis, quam falsam putet, consilium dare*: alterum: *Licere cuivis varios adire Casistas, quoad repererit, qui ad lubitum respondeat*. Hæc

ex-

expressis verbis, ex Casistarum libris probarunt *Montaltius* *Epi-
stol. Provincial. V. Wendrockius in Notis prolixè.* Quibus addi potest
Amadai Guimerii opusculum p. 27-29. in quo hæc, ista insana opinio-
ne fretus, scita plurimis Casistarum suffragiis strenue tueri
contendit. Confer. *Sam. Rachelium in Examine Probabilitatis* istis
Montaltii Epistolis subjunctam & Helmstadii publicatam. At
enimvero animus Christiani in actionibus, quas suscipit, maxime
id operam dare tenetur, ut fiat certus; an illæ cum Dei verbo
ac genuinis morum Christianorum principiis congruant. quam
certitudinem Jesuitica probabilitas tollit. Apostolus autem Paulus,
Rom. XIV, 23. etiam inquit *ὁ δὲ διακρινόμενος, ἔαν φάγη, κατακε-
κρίται, ὅτι ἔκ ἐκ πίστεως. Πᾶν δὲ ὁ ἔκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστίν.* At qui
dijudicat seu dubitat, si dederit condemnatus est: quia non ex fide (edit)
omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Ubi τὸ διακρίνεται, juxta
Chrysostrum, & qui eum sequuntur Theophylactum & Oecu-
menium, est *dubitare*, & contradictamen conscientie edere. Sic
enim *Jac. I, 6. διάκρισις* hæc, seu fluctuatio, dubitatio, hæsitatio &
fides sibi opponuntur. *Es. XXIX, 16.* dicitur: *Qui credit, non festi-
nabit, titubabit.* Fides enim firma est *ὑπόστασις Ebr. XI, 1.* ac certi-
tudinem assensus involvit, qua mens Christiani ἀμετάπλητος καὶ
ἀκλήητος redditur.

§. XXIX.

Hanc vero certitudinem nullius, etsi insignis doctoris auto-
ritas, nisi solidis rationibus suffultus præstare potest. Quia omnes
homines doctrina licet & pietate etiam præstantes, non minus er-
roribus, quam peccatis sunt obnoxii; ut nisi verbum DEI sequan-
tur regulam, errare, labi & decipi possint. Humanum quippe est
errare. Quis ergo tuto fidat Doctori a ratione destituto cæcoque
sæpe & pertinaci præjudicio abrepto; si etiam qui ratione gaudet, in
judicio boni & mali sæpe errare possit? *Rom. III, 4.* Probabilitatem
sane ex unius viri licet magni & sapientis autoritate metiri velle,
rationi & saniori Philosophiæ repugnat; etsi vulgus sæpe aliter
sentiat. Nam *Aristoteli Topicorum l. c. 1. τὰ ἔνδοξα, seu probabilis*
sunt, τὰ δοκῶντα πᾶσι, ἢ σοφοῖς, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel
sapientibus, atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maxime claris. Pro-
inde

inde temerarium valde est, alterius conscientiam & quietem unius viri iudicio, qui ratione destituitur subicere, eique velut dominum in eam permittere. Christus certe nos rectius informat *Matth. XXIII, 20. Ne vocemini Rabbi, unus est enim vester magister; nempe Christus Doctor & doctor omnium maximus. Pascite, qui in vobis est gregem Dei, ὡς τύποι, sed non ὡς κατακυριεύοντες τῶν κληρῶν, quasi exercentes dominatum in clericum.* Quod fieret, si doctorum autoritate in rebus conscientia acquiescendum esset. In his enim *servos hominum fieri*, vetat Paulus *1. Cor. VII, 23.* Multi prudentes viri jam animadverterunt, *Probabilismum* hunc, in *Pyrronismum* imo manifestum *indifferentissimum & atheismum* desinere. v. *Rachelsii Examen: Probabilitat. & Wendrockii not. ad Epist. V. Provincial. Montal. tii.*

§. XXX.

Sane novi Casistæ hac in parte multo peiores & ineptiores sunt antiquioribus istis Romanæ Ecclesiæ doctoribus. Quia illi pro norma atque fundamento casuum moralium, non quidem solam scripturam, legemque divinam, sed autoritatem antiquorum Patrum, Conciliorum, & Papæ R. agnoscunt atque venerantur. Nam ut suo Pontifici summam ac irrefragabilem potestatem tribuunt; ita leges ecclesiasticas, quæ olim canones vocabantur, ab illius approbatione & autoritate derivant. Id quod ex Jure Canonico nemini ignotum esse potest. v. *Henr. Canisii in Jur. Canon. Summa l. 1. tit. & Pauli Laymanni Theolog. Mor. 1. tract. 4. c. 6. §. 5. in Concilio enim Tridentino Sess. III. sancitur, Traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, & continua successione, in Ecclesia catholica consecratas, pari pietatis (cum verbo Dei) ac reverentia venerandas ac suscipiendas esse.* inde, quando casus conscientia determinandi sunt, subinde ad autoritatem illarum provocare solent, non unius tantum, sed multis recentiorum Casistarum testimoniis adscriptis. At vero, ut doctrina fidei & morum in Ecclesia Romana valde corrupta fuit, ac Papæ R. dominatus super omnes potestates in mundo, per varias artes atque tyrannidem emerit, monarchia absoluta stabilita; ita etiam regimen conscientiarum clerici sibi vindicant, suaque inde do-

do-

dogmata præcipua ad statuminandum hoc sacrum clericale regnum inflexerunt. Quod fieri haut potuisset, nisi traditiones humanas ex longa consuetudine inolitas in subsidium vocassent. Ne tamen Clerici minoris ordinis hac in parte forsan majestati summi Pontificis, resolvendo omnes casus conscientiae quam erroneam habent, per inconsultas definitiones & decisiones præjudicarent, Pontifex suæ auctoritati multos reservavit, qui ideo *casus reservati* appellantur.

§. XXXI.

Verum nos misis Moralistarum Romanensium placitis, qui nullo certo fundamento nituntur, sed omnia ex arcana monarchiæ Papalis status ratione, juxta sacerdotum, qui conscientias laicorum autoritate magis, quam ratione regunt, attemperant, ac adeo omnia ex commodo S. matris Ecclesiæ & Papæ metiuntur; Certum atque firmiter fundamentum ac normam indagare parabimus. Illud vero apud Christianos primario est sola Scriptura Sacra; quippe quæ unica credendorum & agendorum fundamentum atque norma est; utpote in qua voluntas Dei summi legislatoris manifestata est, *Deut. IV, 2. XII, 32. Jes. II, 20. 1. Cor VII, 23. nolite fieri servi hominum*; puta, in opinionibus & sententiis de vero & justo ex verbo divino scripto dicendis, *Matth. XV, 9.*

§. XXXII.

Loquimur vero hic de Christianorum conscientiae norma. Nam gentiles, qui S. Scripturam non habent, aut agnoscere nolunt, aliam conscientiae regulam possident, quod est lumen menti impressum ac alias lex mentis vocatur. Philosophi *rectam rationem* adpellant. De hac Apostolus *Rom. II, 14. 15.* loquitur. Cum gentes, quæ legem non habent, *natura* ea quæ sunt legis, *faciunt*; hoc est, actus justitiæ civilis exercent. Quia iterum Apostolo teste, opus legis scriptum in cordibus suis habent, testimonium una perhibere *conscientia sua*, & invicem se cogitationibus accusantibus, vel etiam defendentibus. Christus huc ipse respicit, quando *Luc. XII, 57.* dicit: *Quare non ex vobismet ipsis judicatis, quod justum est*: hoc est; vos si recta ratione uti velitis, bonum & malum, justum ab injusto discernere potestis. Hinc in historia passim exempla eorum

occurrunt, qui cum timendi sibi ab hominibus causam non habuissent, conscientia, ob scelera patrata, accusationes & cruciatus senerunt; certo argumento, in mente sua latere testem & judicem, qui ipsos damnent. *Rom. II, 15. 1. Job. III, 21.* Confer *Ciceron. pro Sex. Roscio Amer. Nolite putare, iudices, quemadmodum in fabulis sapienter videris, eos, qui aliquid inepte scelerateque commiscunt, agitari & pervereri furiarum radiis ardentibus: Sua quemque fraus & suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat amentiaque afficit: sua mala cogitationes conscientiaque animi terrent. Ha sunt impiis asidua ac mesticaque furia, qua dies noctesque parentum poenas a sceleratissimis filijs repetunt.* Exempla hujus torturae in Nerone & Caligula, Suetonius c. 34. annotavit.

§. XXXIII.

Etsi vero Christiani hoc lumine rationis omnes, qui nondum iusto Dei iudicio in mentem reprobam traditi sunt, etiam gaudeant; tamen illo clarius multo est lumen verbi revelatum. *2. Petr. I, 19. Ps. XIX, 18.* quod ideo Hieropsaltes prolixè deprædicat, *Psalm. CXIX, 105. Lucerna pedibus & lumen semitis nostris.* Quia hoc lumen voluntatem Dei nobis plenius manifestavit; ut id, quod illa a nobis fieri vel non fieri velit, noscatur. Quando ergo aliqui voluntatem Dei fundamentum & normam conscientia vocant; necesse est, eos verbum Dei præsupponere; utpote in quo illa plene revelata est. Istud enim nobis eam manifestat. Quapropter illi inter se non pugnant, qui, sive voluntatem Dei, sive verbum Dei, aut legem divinam conscientia normam aut fundamentum appellare solent. Dissensus enim hic qui adparet, facile conciliari potest. Nempe Dei voluntas sanctissima & justissima prima & immediata ac adæquata regula conscientia est; mediata autem est verbum eius in quo voluntas revelatur. Confer *Dannb. Colleg. Decalog. Disp. octav. §. 18. seqv.*

§. XXXIV.

Hanc ob causam lex Dei revelata, ut agendorum, ita fundamentum & norma conscientia est. Ubi enim non est lex, nec transgressio ejus est, *Rom. IV. 15. 1. Job. III, 4.* Ergo lex est norma iusti & iniusti, boni & mali moralis, ac per consequens etiam conscientia.

tiæ. Vim autem obligandi, a supremo legislatore & Domino, h. e. Deo habet; quippe cui soli dominium in conscientias competit. Id-
eoque illi non tantum agendi regulas præscribere, sed & obliga-
tionem ad illas observandas injicere potest. Cum omnes mortales
ipsius imperio subjecti sint, ac nisi legibus suis pareant, æternum
eos punire possit, *Matth. X, 28.* quia est omnipotens, justus ac o-
mniscius Dominus noster ac iudex supremus in coelis.

§. XXXV.

Lex autem divina Mosaica in tres partes dividitur, *mora-lem,*
ceremonialem, & forensem. Inde quæritur; an omnes harum par-
tium leges normam conscientiaë constituent Christiani? Nos de
duabus ejus partibus posterioribus id negamus. Quia lex *cere-*
monialis tantum ad cultum Leviticum externum ordinandum sa-
pientissima ratione lata fuit, qui ob typum novi foederis per Chri-
sti mortem, resurrectionem, & prædicationem Evangelii per uni-
versum orbem Christianum abrogata fuit, everso etiam ipso tem-
plo Hierosolymitano cum politia Judaica. *Lex autem forensis* cum
itidem Reipublicæ Judaicæ regendæ a Mose tantum præscripta
esset; cum vero ista justo Dei judicio itidem deleta sit; itaque
Christianos adhuc obligare nequit; quippe qui in illa non ampli-
us vivere possunt aut debent. *Mora-lem* igitur h. e. præcepta De-
calogi, & quæ ad hanc a Mose & Prophetis referuntur, Christia-
nos obligare; adeoque illam eorum conscientias, eo sensu, quem
Formula nostra Concordia Art. VI. tradit, obstringere statuimus. Ca-
lumnia ideo est *Bellarmini*, qui *libr. IV. de justificatione c. 5. scribit, nos*
in eo ponere christianam libertatem, ut nulli legi subjecti simus in conscien-
tia, Moses autem cum suo Decalogo nihil ad nos pertineat. Deliramen-
tum hoc fuit non Lutheri, sed Joh. Agricolaë & Antinomorum,
quos B. Lutherus & Formula Concordiæ l. c. confutarunt. Uti-
nam vero omnes, quod Lutheri votum fuit, legem & Evangelium
populo explicare & adplicare recte scirent.

§. XXXVI.

Qui in *Evangelio* novas leges & præcepta morum cum Pontificiis
& Socinianis quærunt, idem quoq; conscientiaë normam vocant.
D. Aegidius Strauchius quidem in *Theol. Morali*, non ita pridem publi-
cata,

C 3

cata, p. 24. voluntatem Dei non tantum *legalem* sed & *evangelicam*, conscientia regulam esse scribit; cum non solum conscientia accuset sed & excuset; nempe ratione consolationis, quam Evangelium præbet. Nobis vero heic duplex significatio vocis *Evangelii* prius evolvenda venit, quam determinetur; an norma illud conscientia sit Christiana. Vox nimirum *Evangelii* juxta *Form. Concord. Art. V. p. 592. n. 4. proprie doctrina est, quæ docet, quid homo credere debeat, qui legi Dei non satisfacit, & idcirco per eandem damnatur: videlicet, quod illud credere oporteat, Jesum Christum omnia peccata extinxisse atque pro omnibus satisfecisse & remissionem peccatorum & justitiam coram Deo consistentem, & vitam aeternam nullo interveniente peccatoris merito impetrasse.* Sed num. 5. additur, quod vocabulum *Evangelii* de tota Christi doctrina etiam accipiatur, quam ipse in ministerio suo (quemadmodum & ejus Apostoli) est professus, in qua significatione *Marci I, 4. Act. XX, 21.* recte dici & doceri *Evangelium* esse concionem de *pœnitentia & remissione peccatorum.* Posteriori hac significatione *Evangelium* norma conscientia propria quoque dici potest. Priori vero significatu tantum *respective*, & minus proprie ita vocatur; nempe quatenus conscientia anxiosa & scrupulosa ob salutem animæ, per solatium erigitur atque exemptis scrupulis ex legis *Mosai-cæ* rigore natis, solatio perfunditur evangelico, quod proprie non ad normam agendorum, sed sperandorum spectat, quæ in promissionibus Dei gratuitis *Evangelii* continentur. In Theologia autem morali, qua conscientia informatur, de officiis Christiani præcipue agi debet. Solatia vero ex paracletica Theologia petuntur, quæ adplicationem promissionum gratia in *Evangelio* manifestatarum tradit.

§. XXXVII.

Etsi vero Christus nec fuit novus legislator, nec novas leges morales tulit, quæ in *V. Tto.* non quoad materiam jam reperiantur; nova tamen quædam de sacris institutis præcepta dedit, quæ leges, sed non novæ morales appellari possunt: ut sunt prædicatio *Evangelii* in universo orbe; Sacramentum Baptismi, & *S. Cœnæ*, itemque clavium potestas, quæ ipse in salutarem animæ finem instituit; ita ut juxta ordinationem Christi, æque, ut le-

leges morales fervari debeant; ne a Christianis negligentur, aut iis aliquid addatur, vel dematur, aut imminuatur. Hoc respectu, Evangelium, seu voluntas Dei evangelica, etiam hac in parte norma agendorum est, quæ ministrorum, Ecclesiæ æque ac Christianorum omnium conscientias obligant; ut nihil eorum omittant, vel immutent aut contra agant. Externas circumstantias & ceremonias postea Ecclesia ad excitandam Sacris majorem reverentiam addidit, quæ si non superstitionis sunt & verbo Dei repugnant, ad leges ecclesiasticas, quibus actus externi sacrorum publicorum ordinantur, tantum pertinent, quæ temere absque Ecclesiæ communi consensu mutare haut licet. Præsertim si ab antiqua Ecclesia Christiana adhuc puriore tales ritus sint constituti,
v. Aug. Conf. artic. V. & Apolog. c. VIII.

§. XXXVIII.

De legibus proinde humanis disquirendum venit; an istæ etiam conscientiæ Christianorum fundamentum aut norma sint; cum soli Deo imperium in conscientias jam a nobis vindicatum sit; quippe cuius est, illam per suas leges immediate regere. Ubi primo leges cum *civiles*, tum *ecclesiasticas* in justas & injustas distinguimus. De *justis*, quæ nulla ex parte juri divino repugnant, non est dubium, quin conscientiam *mediate* ad obediendum obligent. Quia summis potestatibus, in omnibus, quæ non sunt contra legem divinam & naturæ parendum est, *Rom. XIII, 1. 2. seqq.* De *injustis* vero quales plurimas Pontifex R. condere ausus est, aliter pronuntiandum venit; nempe quod illarum quatenus a Papa promulgantur nulla sit obligatio, *Luc. XXII, 26.* Quia jus nomotheticum illi haut competit. Sed obligatio *superioris* (hoc loco Dei) semper *inferiori*, quæ in republica & ecclesia est imperantium, si collidantur, præferri debet. E. gr. Si princeps jubeat cultum alicujus idoli, aut idololatricum cultum introducere mandet, vel perjurium, scilicet homicidium innocentis præcipiat; aut si prohibeat officium jure divino necessarium; nulla, inquam, induci potest subdito vel ad faciendam, vel, ad omittendam quod divinitus est mandatum, obligatio. Daniel ideo edicto Persarum Regis injusto obtemperare recusavit, *Dan. c. VI. & Apostoli Act. V, 29.*

V, 29. prohibiti ne prædicarent Evangelium de Christo: Deo illi magis, quam hominibus parendum esse, responderunt. Ita & Saulis satellites Regis jussu innocentes sacerdotes trucidare volebant, 1. Sam. XXIII, 17. omne igitur iniquum, quod manifesto & quidem *ratione materia imperata* tale est, obligationem tollit: non vero quod *ratione accidentis* tale est: puta, *finis, modi, aut circumstantiarum*. Nam potest Princeps aliquid per legem, vel mandatum imperare quod *per se* quidem non est injustum; fit tamen *ratione modi, aut finis* tale. Ibi obligatio ad parendum non cessat: ut si civibus graviora tributa pendere imperet, aut servitutes imponat, eaque non æqualiter inter cives pro ratione inæqualium possessionum describat, nec ad necessitatem Reipubl. impendat. Heic quidem in *modo* & *sine* onerum civilium vitium est, quod imperantes vitare deberent; non tamen ideo tale mandatum per se *ratione materia imperata*, est injustum; cum summi imperantes jus tributorum divino jure habeant, Rom. XIII, 6. adeoque civis hac in parte ad parendum obstringitur. Quia sine peccato a subdito hac in re obedientia præstari debet. Civis enim subditi non est inquirere, quo affectu, quo consilio vel fine id Princeps postulet. Si princeps hac in re peccat, ipsi, non vero civi parenti peccatum impingitur. Deus enim sæpe Principi talia in poenam civium permittit. Conf. 1. Sam. IX, 11. 28.

§. XXXIX.

Sic quoque parendi obligatio civis conscientiam stringit, et si ipsi non certo constet; an princeps justo titulo principatum teneat; dummodo ille in possessione *ἐξουσίας* seu summæ potestatis ac jurisdictionis sit constitutus, Rom. XIII, 1. seqq. Nam obediendi necessitas iis incumbit non solum propter iram vel potentiam Principis; sed etiam *propter conscientiam*. Notum enim est, jam Apostolorum ætate, imperantes ac principes Romanos non justis semper modis aut titulis imperium obtinuisse aut gessisse; Apostolus tamen Rom. XIII. & Petrus 1. Ep. II, 13. 14. istis obtemperare mandat. Quia Evangelium & status Christianorum, statum civilem rerumque publicarum nec alterat, nec abolet, nec jura imperandi tol-

tollit. Id, quod *B. Pufendorf* libr. de *Habitu Religionis Chr. ad statum civilem* egregie demonstravit.

§. XL.

De *legibus Ecclesiasticis*, quæ a summis imperantibus, qui Christo nomen dederunt, propter cultum Dei externum & disciplinam morum feruntur, itidem dubitandum non est, quin Christianos in conscientia obligent. Quia hoc jus Ecclesiæ est, cujus supremum membrum Christianus Princeps est. Hinc Principes Christiani illud ceu summi Episcopi a Constantini M. xvo merito exercuerunt, (ap. *Euseb. de vit. Const. l. IV. c. 24.*) donec imperatorum connientia, Episcopi Romani id sibi arrogarint; quod tn. post reformationem Lutheri Status Protestantes sibi jure meritoq; iterum vindicarunt, v. *H. Grot. libr. de imperio Summar. Potest. circa sacra*, quem *Cl. Sarravius* epistol. ad *Salmasium illustre doctrinæ exquisitioris monumentum* vocat, & *Seldenus* de *Synedr. vet. Ebraor. l. 1. c. 10.* insigniter laudat. Quo præsupposito inter Protestantes dubium non est, Princeps posse leges quoque ecclesiasticas condere de rebus mediis, & jure divino licitis ceremoniis, quibus cultus Dei externus *εὐχρημόνως καὶ κατὰ τὰ ἔτι* ordinetur, 1. *Cor. XIV, 40.* Confer *Hülsemanni Breviar. cap. XX. §. 7, 8.*

§. XLI.

Objectum tamen *legum ecclesiasticarum* non sunt *fidei dogmata* aut *sacramenta*, sed res mediæ, ritus & ceremoniæ, quibus in cultu Dei externo opus est, ut decorum certusque ordo morum in Ecclesia, tam a ministris verbi, tum eorum auditoribus in sacris functionibus observetur, populusque ad majorem sacrorum reverentiam excitetur; quippe qui religiosis ritibus externis sæpe magis, quam ipsa doctrina capi & commoveri solet. Absurdi enim sunt, qui zelo, sed non secundum scientiam abrepti, ex Christi ecclesia omnes ceremonias, quæ in S. literis non sunt mandatæ, eliminatas cupiunt; cum Ecclesia paucis primum ritibus instructa fuisset, ad quam simplicitatem ac puritatem eam sic revocari posse, falso persuasum habeant. Quo

D

tamen

tamen concessio frænoq; ordinis laxato, omnes prudentiores observarunt, quantas Anabaptistæ & Sociniani rixas & turbas passim cum periculo sanæ doctrinæ & ecclesiæ turbatione excitarint. Certe ordinem & decorum in externo cultu, atque in ecclesia constituta servari, Deus qui autor ordinis est. semper voluit. Quapropter Paulus quando ecclesiam Christi plantaverat, ordinem etiam constituit, & illum ab aliis quoque servari voluit; quippe sine quo nulla societas esse diuque consistere potest. Illi equidem ἀτακτοὶ obtendere solent, hac ratione traditionibus Pontificiorum iterum locum fieri in nostris ecclesiis. Enimvero non est, ut ab illo nobis malo hac in parte metuamus; si quod in *August. Confessione de Potestate ecclesiastica Abus. VII.* præcipitur, rite observetur, & effræni hominum temeritati per leges boni ordinis modus statuatur, dummodo *opus operatum* vitetur. Nam Pontificiorum traditiones dogmaticas, quæ Scripturæ S. perfectioni derogant, & ceremonias, quæ præcepta Dei de vero ejus cultu obscurarunt, aut eum in superstitionem verterunt, dudum est, quod nostrates, ut carnificinas conscientiarum proscripserint. v. *Aug. Conf. de Abus. c. III. IV. V. sequ.*

§. XLII.

Non tantum vero conscientia legibus divinis & humanis, sed etiam peculiari *voto* hominis animo deliberato in re licita facto obligatur, ad id, quod quis promisit præstandum. Nam etsi quis ad rem justis legibus jam præceptam aut vetitam obligatione debita obstrictus sit, ut illud vel faciat vel omittat; novo tamen voti aut juramenti vinculo arctiore, Deo obstringere se quis potest. Ita enim Jacobus patriarcha vovit, *Deum suum fore Jehovam*, quem unice coleret, licet ante hoc votum, ad id jam obligatus esset, *Genes. XXVIII. 21.* & David *juravit, se justis Dei judicia custoditurum esse*, Psalm. CXIX, 106. Nempe religiosus homo quandoque pio zelo incensus, ut sincerius & constantius Deum colat timeatque, aut peccandi occasionem vitet, sibi novum velut vinculum per votum sponte injicere potest, ut

ista

ista mala in posterum enixius fugiat. Tale votum, etiamsi in rebus per se adiaphoris & mediis fiat; obstringit tamen voventem æque ac in rebus necessariis obligat. Quia Deum omniscium vel testem aut vindicem, si fallat, in voto invocat; ac adeo ejus majestatem & justitiam revereri tenetur: ex. gr. si quis certam pecuniæ summam quotannis in pauperes erogare, si ad evitandam ebrietatem conviviis publicis non interesse, voto se adstrinxit; ad id servandum, inquam, per conscientiam obstrictus est, *Ecclesiast. V, 3*, Confer *Durrii Theolog. Moral. cap. II. part. 2. §. 44. seqq.*

§. XLIII.

Sed visa *norma & fundamento* decidendi casus conscientiæ; superest, ut de *modo* seu *forma* atque *autoritate decisionis* quædam addamus. In *Modo* primum observandum est, ut ante omnia *Status questionis moralis rite formetur*; deinde *omnes questiones circumstantiæ morales attendantur atque expendantur*; an manifestis legibus, an sanæ rationi in hac vel illa actione congruant, aut repugnent; ne quod sæpius accidere solet, responsio interrogatis minus respondeat.

§. XLIV.

Quod actionis *circumstantias* attinet *morales*, illæ ex trito versiculo notæ sunt:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

In quibus principales sunt, *quis? quid? & cur?* seu causa *Efficiens, materia, & finis* actionis. Ceteræ, quæ de *instrumentali* seu *ministeriali* causa, (*quibus auxiliis?*) aut de *forma & modo* (*quomodo?*) & *circumstantia loci & temporis* (*ubi? quando?*) quærunt, minus principales circumstantiæ sunt, tantumque momentum in dijudicandis actionibus humanis non habent, ac illæ priores.

§. XLV.

Paucis igitur de his singulatim videbimus. *Prima* (*quis egit?*) causam efficientem vel autorem actionis notat. Hic in genere est homo sanæ mentis compos, qui suo gaudet agendi arbitrio & communissimas justæ & injustæ regulas & scire pot-

est & debet. Is, cum ob statum *ætat*, vel *vita* vel *officii* varie distingui possit, illius quoq; ætas, conditio & status simul considerari debent. Jam fingamus, idem delictum, v. gr. scortationem admisisse adolescentem, senem, vel sacerdotem; gravius peccavit Senex aut Sacerdos, quam adolescens. Quia hic propter affectuum intemperiem non ita adversus hoc peccati genus censetur præmunitus, ac forte sacerdos aut Senex aliquis esse debet. Ita, si quis de paupere plebe furtum commisit; non ita graviter peccavit; ac si illud aliquis ex civium aut sacro vel doctorum ordine illud patravit. Quia hic, aut iste non tantum leges de furto vitando melius nosse, atque ab illo alios etiam absterrere debet, quam forte plebejus. Hanc ob causam in S. literis sacerdotes legisq; periti gravius ob peccata objurgantur, quam populus, *Jerem. c. V, 4. 5. c. XXIII, 11. Ezech. XLII, 3. 4. 5. 6. 7.*

§. XLVI.

Secunda circumstantia principalis est *materia actionis*, circa quam agens versatur: illa est vel res aut actio vetita, aut mandata, aut permissa. Ubi quod priores duas species materiae attinget, jam ex supra dictis liquet, quod vetita actio sit omittenda, & mandata facienda: Sed permissa ex circumstantiis metienda; an hic & nunc absque scandalo fieri possit. Ex. gr. stipem in pauperes erogare & permissum & præceptum est. Sed si quis de alieno aut bonis male partis elargitur eleemosynam, actio ratione materiae fit mala; de suo enim quis liberalis esse debet. Et Deus hac in parte etiam indicavit, quid sit bonum, & quid ab homine requirat, *Micb. VI, 8.* Ita si materiae hymni aut precum, quibus Deus celebrandus, immisceantur res & verba profana vel superstitiosa, hymnus aut preces ob materiam etiam malæ fieri possunt.

§. XLVII.

Tertia circumstantia est *finis*, qui ex intentione agentis, cujus voluntas movetur ad agendum, æstimatur. *Intentio* autem est vel bona vel mala: *Bona*, si voluntas intendit in finem per justa & licita media obtinendum: *Mala*, si per injusta media

dia

dia intendit *finem*: ex. gr. si quis furetur, ut materiam eleemosynarum habeat: tum medium, quia iniquum, actionem reddit malam, etsi finis sit bonus. Sicut contra si quis de suo largitur eleemosynam aucupandæ gloriæ causa; actio ob finem fit mala, licet medium sit justum. Quod Christus ipse *Matth. VI, 1. 2. seqq.* nos exemplo Phariseorum docet, itaque *intentio & finis* solus non facit, ut actio sit moraliter bona. *Nam non sunt faciendæ mala, ut eveniant bona, Rom. III, 8. Ecclesiastic. XXXIV, 21. 23.* Bonum enim ex *causæ integra*, malum ex quolibet defectu æstimari debet. Sic v. gr. sit aliquis, qui male intelligat verba Pauli, *Rom. V, 20. (ubi abundavit delictum, ibi superabundavit gratia)* & inde colligat: Ergo cumulemus peccata ad indurationem usque totalem, *ut superabundet gratia Dei*: Qui finis sane bonus & omnibus etiam Epicuræis gratus est. At medium non est bonum & licitum, (nempe peccatorum accumulatio) quia Apostoli ea mens non fuit, ac si temeraria multiplicatio & continuatio peccatorum, gratiam Dei redderet abundantiorē; sed sermo illi est de cognitione & sensu peccatorum multiplicium ex lege, quem animo vere contriti serioque dolentes ex legis divinæ transgressione sentiunt, ac gratia ideo opus habent. Sicuti ipse Apostolus hanc improborum & τῶν ἀσυνέτων consequentiam redarguit sequenti statim *Cap. VI, 1. 2.* Ergo hæc sententia Pauli hunc finem a Carnalisticis, aut, qui gratiam Dei ad ἀσέληναν improbe trahunt (*Jud. Epist. v. 4.*) male allegatur & pessime adplicatur. Bene Augustinus libr. *contra Mendacium cap. 7.* scribit: *interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat: Sed ea, qua constat esse peccata, nullo bona causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione faciendæ sunt.* Deus sane Uziam 2. *Sam. VI.* qui bono fine, sacro vasi manum admovit, ne forte arca foederis in terram excuteretur graviter punivit, quod ante edixerat, arcam humeris sacerdotum gestandam, remque sacram attingere aliis non licere, *Num. VI, 9. c. IV, 15.* Quapropter insuper habito bono fine, Uziam mortis supplicio affecit, 2. *Sam. VI, 7.*

Reliquæ *circumstantiæ* actionis minus principales, etsi tantum momenti ad æstimandam istius moralitatem non habeant, quam modo dictæ tres illæ priores; attamen etiam non prætereundæ sunt, quando iudicium de actu aliquo ferendum est. Nam 1.) *circumstantia mediæ vel causæ instrumentalis* aut *ministerialis* actionem vetitam magis aggravare potest: puta, si autor actionis per se malæ, instrumento insolito aut sacro utatur, exempl. grat. si quis vasis sacris utatur ad ebrietatem, *Daniel. V, 1. 2. seqq.* aut si quis innocentum & simplicium hominum, qui sceleris iniquitatem non intelligunt, opera ac ministerio ad scelus patrandum abutatur; illis forte persuadendo, operam hanc sibi commodatam non esse nefariam, adeoque eos decipiat; aut si illi, qui nesciunt ministerium in re mala etiam crimen esse, minis ab aliquo ad societatem sceleris trahantur. Quorum exempla in historia passim sunt obvia. Tales enim autores criminum non tantum se, sed sæpius etiam adutores suos ante non malos, peccatis involvere ac adeo seducendo eos *majoris* culpæ & poenæ reos fieri, quam si soli peccassent, manifestum est.

§. XLIX.

Secundo, *circumstantia de modo, (quomodo)* malum aut scelus patratum est) non negligenda venit. Cum si ille astutiam aut calliditatem agentis prodit, simul plenum & præmeditatum male agendi propositum animi arguat; quod non ex coeco animi impetu abreptus aut præcipitanter animoque minus deliberato egerit. Ideo in æstimanda moralitate & culpa actionis contracta, *modus agendi* prætermitti haut debet. Scelera enim & peccata callide præmeditata, gravioris culpæ esse, quam inconsultæ præcipitantæ, ex *2. Sam. XI, 2. 6. seqq. 25.* & *Act. XXVI, 10, 11.* colligi potest.

§. L.

Tertio, *circumstantiæ temporis & loci, (quando? & ubi?)* etsi actum ex objecto bonum nequeant convertere in malum; tamen malas actiones ideo adaugent; quod nullam reverentiam

tiam

tiam loci & temporis sacri in animo agentis prodant! ut si quis in templo aut alio loco sacro, & quidem tempore sacro, (ut sabato aut die festo) contra leges sacrorum scelus patret, sicque simul scandalum profanationis sacrorum publice præbeat, Num. XIX, 20. Ezech. V, 11. Luc. XIX, 46.

§. LI.

Circumstantiis his expensis omnibus, e quibus actiones liberæ bonitatem aut malitiam suam sumunt; consequitur, quod nulla actio bona & justa censeretur, nisi quæ, præterquam, quod e recta vel certa, aut minimum probabili conscientia prodeat, bona quoque sit ex objecto & reliquis circumstantiis legibus rectæque rationi congruentibus. Quia bona requirit integram causam, & malum e quocunque defectu provenit.

§. LII.

De rebus mediis seu adiaphoris, quæ nulla lege præcipiuntur aut vetantur, Apostolus nos informat, quod illæ ex circumstantiis *adiaphora* amittere possint. Puta, si istæ ob malum finem urgentur, ut res necessaria. Ita Pharisei *Matth. XXII, 23^o 24* & Judæi facti Christiani, ceremoniales quasdam leges, a quibus per Christum liberati erunt, adhuc servatu ad salutem necessarias postulabant. Sed Apostolus ad *Galatas II, 3. c. V, 1. 2. VI, 12. 1. Corinth. VII, 10.* eos gravissime corripit, quod libertatem hanc, in necessitatem saluti noxiam veterent. Sic cum idolothyti vesci Christianis in fide firmis liceret; propter infirmos in fide, iisdem abstinere ob scandalum præcipit, *1 Cor. VIII, 8. 9. seqq.* Regulas hac de causa *Rom. XIV.* circa usum & abusum rerum adiaphorarum observatu necessarias Christianis præbet, ne per temerariam mutationem forte infirmorum conscientia lædatur. Confer *Agustin. Epist. 118 ad Januarium & Epist. 86.* qua responsum sibi suæque matri ab Ambrosio redditum commemorat.

§. LIII.

Nimirum prudentia his in rebus opus est Christiana, cu-
jus

ius regula est, oculata charitas, Ecclesiæque utilitas, quas respicere oportet Christianum, quando de adiaphoris vel retinendis vel abolendis agitur. Nempe si in abusum libertatis christianæ, vel ut necessaria ad cultum Dei ab adversariis urgentur; vel si per eorum abolitionem insidiæ veræ doctrinæ struuntur; tum ex regula Paulina adversariis hac in parte cedendum non est, *Galat. II, 5, c. V, 1. Rom. XIV, 13. 1. Cor. VIII, 9.* confer *Form. Concord. c. X.*

§. LIV.

His præstructis, videre est, quod quidam casus conscientia solutu faciles sint; nempe si eorum determinatio in s. literis vel *ἀυτολεξεί* habetur, aut liquida consequentia inde probari queat; ita, ut in lege divina morali tales actus, circa quos dubium oritur, vel expresse vel virtualiter mandati, aut prohibiti sint. Si autem, ob varias incidentes circumstantias non statim constat; an tales etiam legi divinæ Deique præceptis congruant, an non; opus est prudentia & iudicio morali practico, quo circumstantiæ rite expendantur omnes, antequam resolvantur aut decidantur: ne iisdem posthabitis, iudicium forte ex præiudicio autoritatis humanæ magis, quam iure divino fiat. Cujus generis decisiones in Casistarum libris, multos reperire licet.

§. LV.

Multi hic quidem ad iudicium unius insignis & autoritate in Ecclesiâ valentis doctoris, aut exempla piorum provocare solent, atque in iis satis præsidii quoad securitatem conscientia se invenire posse arbitrantur. Enimvero illi non videntur satis conditionem humanam virorum etiam præstantium & piorum considerasse. Nam omnes mortales etiam doctissimos & multa autoritate insignes non minus erroribus, quam peccatis obnoxios esse, ac adeo tam in discernendo vero & falso, quam bono & malo fallere posse, sæpiusque fefellisse, quis est, qui nesciat? Quapropter illi errant, qui ex studio earum partium, quibus ducuntur & earum odio, quibus se non addictos pro-

profitentur, verum & falsum, justum & injustum metiri solent. Confer 2. *Timoth. IV, 3. Jud, Epist. v. 16.* Deinde, quod piorum exempla & facta in sacra scriptura attinet, illa ob variantes factorum circumstantias, in regulam justitiæ perperam sæpius trahi solent: Cum illa sæpe minus recte facta sint, aut heroica fuerint. Proinde *Augustinus bene libr. contra mendacium c. 9. Hec, inquit, qua in scripturis sanctis legimus, non ideo, quia facta credimus etiam facienda credamus: ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla.* Ubi mox subjicit: *unde constat, quod non omnia, qua a sanctis & justis viris legimus facta, transferre debemus ad mores.* vid. supra §. 29. Exempla enim, ut tritum illud dialecticorum habet, *magis illustrant quam probant.* Quare isti etiam, qui non expensis ante omnibus facti circumstantiis, exemplorum similitudine præpropere humanas actiones dijudicant, valde impingunt. *Quintilianus l. VII. Instit. proæm.* observavit: *tot seculis nullam repertam esse causam, qua sit tota alteri similis.* Unde quid de præjudiciorum, quæ vulgo allegari solent, autoritate in decidendis casibus conscientiæ habendum sit, simul intelligi potest. confer *D. Ziegleri Dicast. Conclus. XIII. §. 23. 24.*

§. LVI.

Ad legem ergo & ad testimonium hac in parte semper attendendum est, quando quæstio moralis seu casus conscientiam attinens, resolvendus venit, *Es. VIII, 20.* *Decisio* tamen casuum ab *informatione* conscientiæ dubiæ aut erroneæ distingui potest: *Illa* liquida demonstratione juris, quoad omnes circumstantias morales constat, ex qua bonitas vel iniquitas actionis demonstratur; *hæc* sæpius ex rationibus topicis & probabilibus petitur; quando nimirum circa res medias aut per se indifferentes, dubia ab indoctis & scrupulosis moventur. Cujus generis casus multi in *Manuale Quæstion.* (ut vocantur) *illustrium Prückneri* occurrunt. *Decisiones* autem solidis juris divini fundamentis subnixæ conscientiam reddunt certam. Nam per *decisionem* sen-

E ten-

sententia in S. literis de hac vel illa quæstione revelata & per justam interpretationem eruta exprimitur. Hinc recte *Melchior Canus* LL. libr. V. c. 5. scribit: *Omnium conciliorum decisionem nihil aliud esse, quam interpretationem decisionis in S. canone jam præexistens.* Itaque autoritas decisionis in rebus fidei & morum factæ, non ab autoritate hujus vel illius collegii prudentum aut Presbyterii, sed rationibus & argumentis ex Scriptura S. petitis & demonstratis pendet. Confer *Hülsemanni Breviar. c. XII. thes. 13. & D. Ægid. Hunnii Exam. cap. 3. libr. 3. Bellarmin. de N. D.*

§. LVII.

Circa informationem vero conscientie in rebus dubiis, duæ præcipuæ *regulae generales* observari merentur. Prima est: *Si due sint de re aliqua sententiae diverse, quarum neutra legibus directe adversetur; illa, quæ tutior videtur, eligenda est.* Hac autem vocatur, ex qua commodum magis, quam incommodum provenire censetur. Secunda est: *in rebus parvi momenti, ubi utrinque rationes probabiles adsunt, utrumlibet salva conscientia eligi potest.* Si autem res majoris est momenti pars tutior semper est præferenda: ut si quis alterius imperio est subiectus, is jussa & mandata superiorum in rebus talibus potius, quam prudentum autoritatem sequi debet: cum in thesi certum fit, jussa imperantium, quæ non aperte juri divino repugnant, capessenda esse; etsi forte responsa prudentum, quoad actus hujus vel illius exercitium, remaliter definiant. Tutior enim pars hic est, summis imperantibus parere, *Rom. XIII, 2. seqq.* Confer *Pufendorffii l. 1. de J. N. & G. c. 3. §. 6.*

§. LVIII.

In conscientia autem dubia, ubi duo mala proponuntur, quorum unum est *damnosum*, alterum *morale*; illud, non vero hoc eligendum est. Melius enim est, malum damni pati, quam
ma-

malum morale h. e. peccatum patrare, *1. Cor. VI, 7.* Si autem simul duo mala moralia, quorum aliud majus, alterum minus obijciuntur, neutrum est eligendum. Quia omne peccatum vitium est, *Jacob, II, 10.* & obligatio ad obsequium Deo præstandum, semper obligationi aut necessitati humanæ præferri debet, *Act. IV, 19. & V, 29.* confer *Dannb. Colleg. Decal. Disp. 8. §. 27. 28.* De scrupulosa conscientia exuenda Pontificii Moralista varias tradunt regulas; ut si scrupulus ex atra bile ortus, svadent medicamenta; Si ex levi ratione, dicunt, scrupulosis acquiescendum esse in ratione probabili, vel in bonorum consuetudine, quæ tanquam vitæ regula sit. Præterea dissvadent otium; quia illud phantasia cogitationibus scrupulosis impleat. Sed tutius nobis remedium videtur, meditari verbum Dei, ejusque gratiam & lumen expetere, quo istæ mentis nebulæ dispellantur, v. *Psalm. XCIV, 19. & CXIX, 98. seqq.* confer *Jo. de Alloza Flores Summarum sive Alphabetum Morale p. 687. & Medullam Theologiae Moral. Hermanni Busenbaumi l. 1. c. 3. nec non D. Kænigii Cas. Consc. præem. p. 13. sequ.*

§. LIX.

Rectæ & erroneæ conscientia regulæ sunt verbum Dei *Ps. CXIX, 9. 15. 24. 27. 30. 59. 98. 105.* & leges, non vero opiniones & sententiæ, quas plures sæpenumero ἀσύνετοι sovent. Nam ut multitudo conspirantium circa determinationem veri & falsi; sic & circa determinationem boni & mali, justi & injusti, sine liquidis argumentis conscientiam certam & tranquillam reddere nequit; quia illa fallere potest, imo sæpe fefellit. Igitur Apostoli præceptum hic bene observandum est, *1. Cor. VII, 23. ne estote servi hominum.* Exemplum memorabile apud *Socratem H. E. l. 1. c. 11.* occurrit: Cum in Concilio Niceno Episcopis visum esset novam legem in Ecclesiam inducere; ut quicumque in sacrum ordinem allekti essent, id est, episcopi, presbyteri & diaconi, ab uxorum, quas cum laici essent, matri-

monii jure sibi sociaverant, concubitu abstinere; *Papbnutius* in medio episcoporum surgens contradixit, non esse imponendum clericis & sacerdotibus grave hoc jugum: honorabiles nuptias & totum immaculatum esse, dicens: ne ex nimia severitate damnum potius inferrent ecclesie. Quæ cordati viri sententia justis rationibus suffulta prævaluit. Et hac de causa frustra sunt, qui vulgi more in decidendis controversiis fidei & morum, conciliorum canones aut decreta, vel responsa, quæ juris divini regulis non munita sunt, tuto nos sequi posse arbitrantur. Confer *Dannb. Colleg. Dec. p. 920. & D. Kænigii Casus Consc. Proëm. p. 9. seqq.*

§. LX.

Sed omisissis hic aliis regulis, quæ *speciales* vocantur, quædam tantum exempla casuum non raro incidentium, velut coronidis loco adponere juvat. Primus sit: an *Cajus*, qui forte ex voluntate parentum Theologia studio incubuit, ac semet ministerio ecclesiastico preparavit, salva conscientia id animi propositum mutare, aliudque studii genus, sive medicum illud sit, sive juridicum amplecti queat? Ad hanc quæstionem determinandam, præsupposita quædam notanda sunt. Primum est, quod *Cajus* in curriculo studii theologici deprehendere cœpit, se nec ratione virium corporis, nec animi & imprimis memoriæ labilis idoneum esse muneri ecclesiastico aliquando gerendo: 2.) se etiam circa officii ecclesiastici partes aliquando obeundas, multos animo scrupulos concepisse, quos sibi exuere nondum licuerit. His causis præsuppositis, *Cajo* salva conscientia studium ante cœptum mutare licere arbitramur. Nam ad sacrum ministerium obeundum debita requiritur *ἰκανότης*, (2. *Timoth. II, 2.*) & aptitudo tum corporis tum animi, quæ præter dona administrantia & sanctificantia, etiam sensuum integritatem vegetamque memoriam & vocem claram atque distinctam poscit: quibus deficientibus donis naturæ & gratiæ, nemo ecclesiastico munere bene defungi potest. Deinde si scrupulis præterea animus

Ca-

Caji de partibus officii ecclesiastici, quæ juxta publicas ecclesiæ leges determinatæ sunt, occupatus est; ita, ut per aliorum informationem iisdem liberari nondum potuerit; tutius tum multo est abstinere ab hoc studio, cujus praxin & usum, ob scrupulos animi graviores enatos tractare extimescit. Melius enim est, tale munus sacrum non aggredi, quam, illo suscepto, postea semper fluctuare aut hærere, an hæc vel illa muneris pars legibus ecclesiasticis præscripta, juri divino sit conveniens, an non? quia dubitante conscientia nihil agere licet. Talis igitur ἀπορητικός & scrupulosus vir nec suæ nec auditorum, quos informare debet conscientia recte consulere aut eandem informare potest. Si vero Cajus supra dictis defectibus haut laborat, sed ex alia causa studium Theologiæ abdicare vult; puta, ut liberius, quam clericum decet, vivere aut ut ad majores dignitates adspirare, opesque acquirere possit; manifestum est, eum peccare; cum bonum propositum aut institutum malo fine mutet. Nam huc etiam adplicari potest illud Christi, *Luc. IX, 62. Nemo, qui manu sua admota aratro respexerit ad ea, quæ retro sunt, aptus est regno Dei.*

§. LXI.

Alter casus sit: an quis *munus sacrum sibi forte oblatum sed cui semet, instituto dotium animi scrutinio, imparem esse sentit, salva conscientia acceptare possit?* Quod negandum videtur: 1.) Quia ἰκανότης, quæ ex donorum animi, muneris fini proportionatorum sufficientia æstimatur, necessaria est; præsertim si amplum aliquod Ecclesiæ munus sit, cui gerendo notitia qualiscunque credendorum & agendorum cum trivialibus scholæ controversiis ex compendiis aut collegiis manuscriptis fortean hausta non sufficit; si maxime facultate ex cathedra coram populo de sacris rebus differendi polleat. Nam præter eruditionem theologiam & eloquendi facultatem, cum inculpata vita donisque sanctificantibus, prudentia ecclesiastica requiritur, quæ

experientia tum aliena ex libris, tum propria rerum singularium in Ecclesia contingentium notitia & praxi comparatur. Ut enim quivis minister ecclesiae minoris gradus futurus, non tantum Evangelium praedicare & sacramenta administrare debet, sed etiam, quae magna pars muneris ecclesiastici communis est, scire agenda, quae hoc vel illo loco & tempore in ecclesia, fidelibus conveniunt; ita maxime haec decet eum, qui non tantum parvo cœtui praesse, sed plurium particularium ecclesiarum curam gerere debet: Quia antistiti tum aliorum pastorum vitae, tum doctrinae & disciplinae cura simul incumbit. Partium autem hujus muneris, si imperitus quis est, quo fructu & commodo ecclesiae, eodem defungi poterit? in tali igitur casu, clerici renitentes magis, quam ambientes laudantur, v. D. Ziegleri libellum de clerico renitente. Ac proinde, cum non quivis cetera licet doctus rerumque & litium sacrarum peritus, (ut vulgus putat) antistitis muneri idoneus sit; quisque vires suas & dotes animi explorare ante tenetur, quam munus etiam ultro oblatum humeris suis imponi patiatur. Multi quidem illo trito conscientiam suam solari solent: *Ben Gott schickt / den macht ee auch geschickt.* Sed is prius in conscientia sua moraliter certus esse debet; an sua vocatio effieienter sit divina; an non potius permissive talis. Deus enim in poenam quandoq; permittit, ut consiliis humanis inepti malique eligantur, *Es. III, 2.* Confer D. Koenigii *Cas. Conscient. p. 739. sequ.*

§. LXII.

Utrum minister Ecclesiae, salva conscientia, possit errantem aut peccantem, publice in suggestu coarguere, quem non prius de errore aut peccato privatim admonuit aut corripuit?

Ad hunc casum cum distinctione respondendum est. Nam 1.) errores & peccata distinguenda sunt, quorum aliqua sunt *publica & notoria*; quaedam sunt *privata* minusque nota, aut forsan ex incerto adhuc sparso rumore innotuerunt: *illa* posse, imo debere publice coargui, Apostolus

1. Ti.

1. Timoth. V, 20, 21. docet: eos qui peccant, ait, in conspectu omnium argue, ut & reliqui metuant: *vers. seqv.* addit obtestationem gravissimam, ut Timotheus id *servet sine prajudicio, nihil faciens in alteram partem inclinando.* Idem Apostolus *2. Timoth. IV, 12.* illi præcipit, in correptione pastorali instare *ἐὐκαιρῶς, ἀκαιρῶς, tempestive, intempestive: argue, objurga, exhortare, cum omni patientia & doctrina.* confer *Es. LVIII, 1. c. LXII, 6. 7. Hof. V, 1: 2.* Quæ autem peccata nondum sunt notoria, aut ex incerta fama l. suspicione sparsa, non licet continuo ceu certa adductis circumstantiis, quæ incertæ sunt, publice coarguere, sed prius inquirere decet; an ita habeant. Quia famæ innocentium parcendum est, nec omnibus rumoribus sparsis fidendum *Siravid. XIX, 14. 15. 17.* interest etiam autoritatis pastoralis, ne quæ fando ex rumusculis quis percepit, statim pro veris vendidet ac propalet, eoqve se nimis credulum aut imprudentem esse prodat. Imo, si rumor ex signis valde probabilibus pro vero etiam a multis habeatur; Christi regula *Matth. XIX, 15. 16. 17.* hac in parte observanda venit; nempe ut errantem & peccantem prius privatim compellet eumque delicti sui admoneat atque amice corrigat prius, quam publice eum coram coetu coarguat. Quapropter 2.) circa *modum* correptionis notandum venit, quod *gradus* illius a Christo *loc. cit.* præscripti non tantum servandi sint; sed oportet quoque ministrum verbi, in elencho morali & doctrinali moderationem animi stylique adhibere, *2. Timoth. IV, 2, Galat. VI, 1.* ne peccantes acerbis dieteriis sugillando aut individuiſice describendo publice prostituat aut diffamet eosq; exacerbet magis, quam emendet. Dignum hic observatu *D. Koenigii l. de Cas. Consc. p. 747. seqv.* monitum est: *interim jubemus, inquit, concionatores, zelum habere cum conscientia, affectibus non indulgere, animo ulciscendi aut injuriandi suggestum non conscendere, suas reprehensiones, ex amore gloriæ Dei & desiderio proximi salutis, non πρὸς ὕβριν, sed πρὸς ἐπιεικείαν instituire, intra modestiæ limites se continere, & summo opere cavere, ne populum inter se committant, aut adversus magistratum suum accu-*

ans.

ant, hujus labeculas populo spectaculo exhibeant, & quem fulcire omnibus modis debebant, de honore & fastigio, in quo Deus magistratum collocavit, precipitent & dejiciant, atque sic deprehendantur morosi, rixosi & tumultuosi, qui videri volebant unice zelosi. Multa hac in parte præcepta & monita singularia noster Hülsemannus Tract. de Jure & Moderatione correptionis Fraternalis suggerit, quæ legi heic & observari merentur. Zelus enim prudenti moderatione regi debet, Rom. X, 2, Galat. IV, 17. 18. Greg. de Valentia Disput. III. Qu. X. puncto V. §. quarto, sex quidem casus designat, in quibus non sit servandus ordo correptionis a Christo præscriptus: Certum est, inquit, in sex casibus non esse modum illum servandum: 1.) Si peccatum proximi sit publicum, quod vel publica infamia jam sit divulgatum vel in judicio convictum, vel in aliqua vicinia aut collegio, aut communitate jam compertum est: 2.) Si etiam occultum cedat in damnum totius communitatis, & periculum sit in mora, ne quis speret, se sua privata monitione impediturum malum; 3.) Si occultum in majus damnum ulli vel pluribus cedit, quam est fratris illa ignominia, quæ fame ejus ex delatione ad superiorem provenit: 4.) Quando peccatum etiam occultum sua natura contagiosum & exitiale est, ut hæresis: 5.) Si frater ob majorem profectum spirituales renuntiaverit gradibus a Christo institutis, & malis illico deferri ad superiorem, ut efficacius & melius emendetur, quam a fratre privato: 6.) Quando ob aliquam circumstantiam concurrentem prudenter judicari potest; ordinem Christi vel omnino vel ex parte futuram inutilem ad finem correptionis, qui est emendatio proximi. Nam frustra niti, & nihil aliud laborando quam odium querere, extrema dementia est. Sed de his casibus memoratis, quos alii Casistæ ita etiam recensent Hülsemannus Tract. citato § XII. n. 272. limitationes & cautelas prudentes habet, quas legere & animadvertere hac in parte consultum est.

Nos DEum precamur, ut nos vias suas ex verbo suo doceat, quo mysterium fidei teneamus in pura conscientia.

S. D. G.

Exeg. B. 400 8

~~Exeg. A~~

~~Exeg. C~~

